

tur à ligamentis, arte paulatim repositio tentanda est, nec vno impetu statim reponantur.

CONSILIVM CCCXLIII.

De luxatione pedis, pro eodem præscriptum.

NEMO potest dubitare situm & figuram pedis illustris. pueri luxatione corrumpti, & ab eadem causa motum quoque impediri. Sed quæ nam ossa sunt luxata? Credimus primò illa esse, quæ sunt in pectine pedis, deinde os clauiculare, tertio talum, quarto os calcanei. Et hæc omnia expressè patitur, ut patet ex ipso modo impediendi motum, & ex figura vitiosa, ex ipso situ & locis ubi apparet luxatio. Causas extrinsecas quidem pro comperto non habemus. Intrinsecæ verò quæ aduenerunt, fouerunt & auxerunt luxationes, humorem crudum & viscidum opinamur esse, unde ligamenta laxentur, ossa lubricentur, & lubricata coarctentur. Cruris verò gracilitatem non modicam credimus maximè fieri ab humido nutrimentali nimis exiccato, ita ut etiam periculum imminet, ne pars quoque radicalis humidi exaruerit, scilicet ob laboriosum importunumque motum in ea parte excitatum. Indicio est quod tum maximè areferi incipit, & deterius habere, cum vacabat choreis. Curationem arbitror quidem difficilem, & arduam admodum, nihilominus tentandam consulo. Si enim puer ille generosus pati voluerit, fortè curatio non erit omnino difficilis, vel impossibilis: est enim adolefcentia plena spe. Primò igitur esset illi diligentissima victus ratio proponenda, & ut ille cum toto crure, maximè custodiretur à frigore, optimeque muniretur, ea tamen ratione habitata, ne nimis incalescant: si tamen ad alterum declinare oporteat, ad calidum potius declinet. Parcat computationibus, vitet epularum multitudinem, vnico cibo sit contentus, fugiat pastilia, lacticia, fructus, pisces, præsertim palustres, carnes porcinas, bubulas, & omnes antiquas. Persuadeatur, ut quam creberrimè, sicut esset bis in septimana, aut semel saltem, tatum rhabarbari mandat ac deglutiat, quantum est scrupuli pondus: si enim hoc fecerit nullo alio medicamento indigebit soluente. Circa lutum Sancti Bartholomei pro materia illa viscida resoluenda, quæ circa luxationes adhæret, laudo quidem, sed ea lege, ut toto eo tempore, quo extra lutum morabitur, liniatur locus oleo amygdalarum dulcium, vel adipe suillo sine sale, vel butyro recenti, vel oleo camomelino. Post experientiam factam huiusmodi lutum applicando pro bis materiis quæ adhuc relinquuntur, laudo fomentum lapidis pyritis, ita ut prius mollificetur locus cum linimentis paulò ante recitatis. Deinde altero quoque die excipiat fumum lapidis pyritis crebrò agitando & mouendo, quemadmodum Galenus præcipit. Valet etiam ad resolutionem simul & emollitionem æsypi ceratum ex descriptione Philagrii: frequentissimè tamè vtatur lotionem facta ex ramentis cupressi, rosis siccis, camomilla, saluia & betonica: valet enim ad resolutionem materiei, exiccationem & corroborationem loci. Pro crure alendo suaderem, ut minimè

A laboraret, & manè modicè fricaretur, deinde deliniretur oleo amygdalarum dulcium, vel medulla recenti cruris vituli, & vteretur optimis alimentis pro cibo. Quòd si contingat, ut materia in loco luxationis contenta maxima ex parte dissoluatur, tum poterit tentare restaurationem luxatorum ossium, non quidem violenter, aut confertim, sed suauiter & paulatim cum hastulis mollibus ac planis, & cum ligaturis commodè ab optimo Chirurgo situm ossium naturalem intelligente perfectis: quia nos puerum sine consensu tutorum, propter calores, & imbecillitatè etiam ac teneritatem corporis, ad thermas mittere nolumus. Consulam ut accipiat duas vel tres etiam vnicias syrupi rosati solutiui cum modico aquæ betonicæ. Pes luxatus liniatur bene cum decocto camomillæ, & deinde supponatur ceratum æsypi ex descriptione Philagrii, ac singulis diebus semel innouetur. Crus manè leuiter frictum inungatur oleo amygdalarum dulcium, & quietus viuat. Singulo octiduo semel masticet rhabarbarum, ut supra.

CONSILIVM CCCXLV.

Pro iuvene habente stuporem in crure.

AGIT iuuenis annum vigesimum quartum, qui venit petitum consiliu de quibusdam dispositionibus præter naturam, quæ sunt proculdubio verendæ, & maximè considerandæ à medico. Sunt autem duæ potissimum. Primò diffocatio vel luxatio vertebrarum circa mediam regionem dorsi, incipiendo à decima vertebra, vsque ad decimam octauam vel vigesimam: deinde stupor in sinistro crure, & præter eum retractio neruorum, ut non possit extendere pedem, sicut vellet. De his nunc conqueritur. Sed antecesserunt alia, quæ ipse recitat, ea nunc non enumero, quia in causis præsentium dispositionum inuestigandis enumeranda sunt, ne idem bis dicamus. Duo igitur sunt accidentia, luxatio vertebrarum & stupor in crure, de quibus petit consiliu & curationem. Sed non possum quidquam ferre auxiliij, nisi natura affectuum considerata, unde procedant & quas habeant causas. Quia verò causæ vel extrinsecæ sunt, vel intrinsecæ, an verò quædam etiam intrinsecæ dispositiones in ipso corpore, an vtrunque. Audiui semper fuisse sanum, toto vitæ tempore nunquam conquestus est de ventriculo, nec de capite, sicut solent interdum conqueri iuuenes, habentes illam membrorum inæqualitatem vel vnus, vel plurius statim à primo ortu, imò ante istud trienniu semper fuit sanus, donec fodinas accessit, vbi diu fuit, tū primùm cœpit catalogus morborum modò relatus. Cum igitur non præcesserit manifesta causa intrinseca, & validissima fuerint causæ extrinsecæ, omnino credimus eas fuisse causas totius mali, nihil conferente reliqua corporis dispositione. Quæ num ita se habere possint, videndum est. Fuit in fodinis, vbi separatur æs ab argento & mercurio, in locis angustis, in quibus vapores inclusi petebant cor & cerebrum, mediante spiritu attracto. Et cum esset abstemius & in